

708
14

PANEGYRICVS
GVSTAVIANVS,
Eliæ de Nukrois,

Cribro philyrino cribellatus.

Authore,

AHAMOTO KRVSIO.



pro Editio adess in P. V. Collect. Hol. Puff. n. 34.
prodit ibid 1692. 4
STRENATÆ,

Anno Dni. M. DC. XXVIII.

EXXIII me mor. glisom

STANLEY
MAY 19 1880

D. IACOBO ŻADZIK
EPISCOPO CVLMENSI

ET

POMESANIÆ.


Supremo Regni Poloniae

CANCELLARIO, &c. &c.

Salutem & felicitatem.

REDIIT PANEGYRICVS GVSTAVIANS ad Cancellariam Polonicam, vnde cum auctore nuper exiuerat, e Suetica, quo cum auctoris vel sculta, vel mala mens intruserat. Agnoui ex morsu viperam. Admirationi tamen fuit, styli bonitas, mentis malignitas; nam semper eum hac meliorem putavi. Sed ille, vel in malis tantum stylo valet, vel stylum quispiam correxit, mentem vitiauit. Pro illo enim hic Rhodum habebat; sed ne passum scribendo fecit: mox vt pedem hinc extulit, in Suecam vsque saltauit. Ergo inde reducem ipsius Panegyricum vidi, legi, agnoui, castigavi, & a Cancellario Suetico ad nostrum, Te, inquam, ire iussi. & ni fecissem, poterat vitio verri vel tuae Cancellariae, in qua natus est, vel eius Regenti Patrono meo, cuius obsequio Panegyrista hic mecum mancipatus fuit. Opellam Tu hanc meam Magne Vir, & hac, maioriq; magnitudine digne, & quibonique consules; ceteri qui legent, progenio quis-

nio quisque suo accipient. Bonis certe viris, quorum exemplar es,
 non poterit nisi bona videri: nec velut illaboratam arguentis
 nam quo in exhaurienda sentina, vel fœcibus euerrendis sicilla-
 rum, vel scoparum nitor? Deinde virtutis laudem non ingenit
 quæsiui: quanquam apud bonos tantum præstabit meum Kru-
 fiano, quantum veritas mendacio, fides fraudi, virtus
 flagitio, clarius dicam, quantum, Tu Axellio. Vale, & vindi-
 cias istas Cancellaria tuæ piatrices, cum vindice ipso, Tui clien-
 tis cliente minimo, sereno illo, & omnibus propitio, vultu men-
 teque accipe.



PANEGYRICVS GVSTAVIANVS.

Vidi Panegyricum tuum, Elia de Nukrois, vel
 potiùs Panegyrim nugamentorum identidem
 veris infucatorum; quorum improbo foetu te,
 vbi minimè debuisti, nempè in conuictu, mensâ, arca-
 nis Cancellariæ nostræ, cuius furunculum ignari foui-
 mus, viperam aluimus, grauidasti, ac demum ex te tui
 similem in lucem eiecisti; Adulterinum tamen agno-
 uisti ex prostitutâ fide Gustavianarum partium lupana-
 rio. Dispudivit me, fateor, impudentiæ tuæ, sed magis
 quòd socius tibi, & familiaris nuper eram; quin indo-
 lui sortem miseratus tuam, quòd vt te isto viperino
 partu perderes, tantùm tecum luctatus es, tantùm la-
 boris,, tantùm itineris Gedano Varsaviam, hinc Vi-
 ennâ, quasi domi tam stolidè nequam esse non potu-
 eris, suscepisti, priùs malo, & obstinato ovo diu incu-
 bans, deindè infaustum ex eo pullum ab Aulâ ad Au-
 lam circumgestans, lucem in scelere, quod extremæ
 erat impudentiæ, insanixq; quæritando. Nisi tu for-
 tassis (si finis aliquid boni de te suspicari) ne omnem
 exuisse pudorem videreris, alibi, quàm in patria, in
 quâ natus, altusq; es; aut in Aulâ, in quâ pastu Poloni-
 co saginatus, in vtramque peccare maluisti; vel si ma-
 uis, non solùm esse, sed etiam videri improbus, vt qui
 fortassis fide, & pudore domi carebas, metu etiam foris
 careres;

careres, & sine periculo malus esses, ne hanc quoque laudem tibi relinquens, quæ reliqua perditorum est, vt in scelere ignauus, & timidus non esses. Quin & nomen idè mentitus es tuum, vt in reliquis liberius mentireris, & ante omnia præmoneres, qualis futurus esses in alios, qui in te ipsum mendax fuisti. Sed caue, ne putes, aut me tui similem, qui tuo exemplo cognomen ocului; id enim feci non tam celandi eius, quàm tui è meo eruendi, eiiciendiq̃ue causâ, probro mihi ducens, si tuum cognomen in meo latuisset; aut in Regis, & Regni nostri laudibus veracem te à me non dici, plus quàm enim velis, aut nolis es; sed sicut Hispani non idè aquam bibunt, quòd vinum diluant, (vt tu nugaris) ita neque tu idè vera scripsisti, quia falsimonia tua veris adspersisti. Neque enim sicut hæc ab ingenio tuo, ita illa à fide proficiscuntur, quæ tam hîc laude caret, etsi non fallit, quàm in reliquis veritate. Detrahit enim veritati veritatis necessitas, & extorta tantùm à virtute abest, quantum virtus coacta à laude, quin vtrumq̃ue magis crimen est. Hinc ne tu laudem quæras, in alienis laudibus, quas extorsit vox gentium, consensus orbis terrarum, conscientia generis humani. Nam & is qui visu ad solem caligat, magis lucem nimiam incusat, quàm laudat, & tibi dum fulgor Maiestatis, quæ supra laudem, & inuidiam est, oculos perstringit, confessionem à te extorquet, non laudem quærit, aut accipit, magnitudine contenta suâ, & de laudatore indigno verecundans; Seis enim à quo pingi, à quo fingi Magnus ille Rex, sed non maior nostro voluisset. Deinde cum vmbra Reguli depingis, quid mirùm si solem, vt vmbra maior appareat,

reat, extollis? Itaque inuitum te, & contra ingenium, institutumque tuum in laudes, tam Regis, quam gentis nostrae identidem excurisse fateor; quod si tu diffiteris, maius à te crimen committi non potuit, quam eodem stylo, quo alios collutulas, Regum maximi laudes attigisse. Sed vt ut est, genius tuus tibi non respondit, vel inuito respondit: reuera quippè laudare voluisti, vt hostem posses; at vix cum cœpisti, ad te, id est, ad propositum mentiendi redijsti, inuidentibus tibi fatis eam laudem, vt vera de Magno Rege, & Regno narrare velles, nec tibi fatis propitijs, vt neque cum velis, vera loqui possis. Quid enim est, quod blateras, & summum inter Regis laudis ponis, quadraginta cum annis effrenem, & turbulentam nationem rexisse? Gentis hæc iniuria est, inquires, non Regis; sed quò calumniæ, & figmenta inter Regias laudes, quas vera virtutis, & gloriæ implent decora? Nam tu sicut fraudes hostis inter virtutes numeras, nec mixturâ doli poluisse eas, sed temperasse adstruis; ita putasti Regem egregiè à te laudatum, dum non sua quidem, cum nec fingere posses, sed subditorum vitia exaggeras, quæ si vera essent, non tantum laudibus eius adijcerent, quantum, dum falsa sunt, detrudere viderentur. Suis quisque virtutibus laudandus est, non alienis vitijs, & tu illis derogas, dum hæc confingis, quasi tam sterilis illic encomiorum campus esset, vt turarum affaniarum cæno facundandus fuerit. Cogitare, mi Elia (familiariter enim tecum agam, vt & vixi) debuisti. Regem esse quem dilaudare volebas, pium, benignum, clementem, communemque patriæ, & subditorum Patrem, cui eorum vitia obiectare proinde est, ac.

PANEGTRICVS

est, ac si optimo Parenti filiorum mores exprobrēs,
 Regi que Regnandi infelicitatē. Deindē quā tibi
 constes, vide. Effrenem tu, turbulentam, arrogantiā
 insignem, seditionibus facilem, rebellione famosam,
 ventosam, nesciam quietis, Regum mandata interpre-
 tantem potius, quā exequentem, gentem Polonam
 appellas; eidem tamen quadraginta annis Regem im-
 perare summā cum laude, tot que victoriarum trophæ-
 is fateris. Quis quæso effrenem sine fræno domuerit,
 quis turbulentum, rebellem, seditiosum sine seuerita-
 te coercuerit? quæ cum à Rege merā clementiā con-
 spicuo absit, per quos tandem quæ fuit tot triumphos,
 quorum minimē ferax est seditio, rebellio que subdi-
 torum, si seueritatis exemplum, nisi quod confatalis
 insanīæ quorundam sors semel in tot sæculis intrusit,
 ad eam sanandam non extat. Bonos ergo, si nomen id
 nosti, putā, qui clementiā reguntur, pacatos, fideles, in-
 genuos, fortes existima, per quos ille regnat, vincit, tri-
 umphat, diu, feliciter, gloriōsē. Crede mihi proferre
 ultra quadraginta annos imperium Principis felicitas
 est, subditorum gloria, propria que ferē Polonorum,
 in quorum sinu, ipsorum Regum confessione, tutō
 Principes obdormiscere queant. Documento tibi alia
 Regna, Reges que vel ij, quos suspecta immeritō Polo-
 norum libertas Regno hoc fugauit, suorum fides ser-
 uitate pressa patrio Regno, vita que priuauit. Quod
 si quid hīc iure reprehendi possit, vitium libertatis est,
 facilis ad abusum, & degenerare in licentiam pronæ,
 quæque cæteris gentibus ad insaniam foret, nostræ ad
 vitia; ea tamen propè meliora, nobiliora que virtute
 in seruitute, id est, inter ergastula, vincula, enses, pa-
 tibula,

tibula, natæ. At quidni tibi libertas Polonorum pro
 seditione, rébellionéque? quidni tuis congerronibus
 leges libertatis altrices pro tristibus prærogatúis?
 quando ex ingenio vestro metimini, neminem bonum
 esse in libertate posse, hoc est, sine legum seueritate me-
 tuque suppliciorum. Non tam legibus, quam mori-
 bus stetit hæctenus res Polona, deriuato ad Priscos il-
 los Sarmatas, quorum genus sumus, vicinorum, à qui-
 bus mutuo illi metu, nos mutuâ reuerentiâ separamur,
 eò laudis preconio, plus apud illos bonos mores, quam
 alibi bonas leges valuisse. Quod si in cæteris de gene-
 rasse videri possimus; priscam certè Religionem, re-
 uerentiam Maiestatís, fidem erga Principes non exui-
 mus, eamque fortiùs propugnabimus, quam alij oppo-
 gnabunt. An qui pro Rege contra perduelles triginta
 annis vtrumque sanguinem fundimus, effrenes, tur-
 bulenti, rebelles tibi videmur? Si nos te iudice tales;
 iam liberè istum tuum Regum maximum cognatæ &
 legitimæ, Maiestatì fidum, deuotumque asserere. Sci-
 licet & Brutus Catilina, Catoque Milone iudice lite-
 cadent. Proindè noli nos fœculentis laudibus onerare,
 noli è tuâ fideiâ atramento futorio dealbare;
 an enim nescis, ita olere veritatem inter mendacia,
 sicut violæ inter allia? probris onera quantum colli-
 buerit: hostem etiam, quod facis, fer in cœlum, nam
 ipse non ibit. Numen tu illum quoddam, & idolum
 ante omnia putasti, nì vulnera hominum docuissent.
 Quantas tu igitur gratias iure egeris gregario militi
 Polono (non enim externus fuit, vt hanc etiam nobis
 gloriolam inuideas) qui te impio falsi Numinis cultu
 liberavit. Pergis deinde gesta narrare, sed non trium-
 phos,

phos, vt promittebas, nisi putes, nec in scelere deesse triumphos, id est, fraudes, dolos, rebellionem. Id facile præstitisti, æqualemque te agnosco in euentibus tui Principis laudibus, quàm in veris, clarissimisque Regis nostri gloriæ titulis. Liceat id cursim attingere: neque enim id ex professo tracto, sed pro familiaritate nostrâ pristinâ tecum confabulor. In primis in eligendo hoste tui Gustavi solertiam demiraris, quasi non dudum ille hostem sibi ex Domino, & Cognato fecisset. Eligebat nimirum Parens illius hostem quærendæ gloriæ studio, dum Regi suo fidem frangebatur, Regnum eripiebat, Liuoniam inuadebat. Eligebat & filius hic, dum post talem Patrem Regnum Sueciæ corripiebat, eo ipso melior, quòd rem in discrimen exemplo eius non adducat, id est, melius sui, causæque conscius sit. Eat licet, voto tuo, fama in sæcula, tam fœdâ, impiam, abominandam in eligendo hoste solertiam posteritati commendatura, à quo quomodo-cunque etiam fortuna insaniret, non potest tuum hoc è coelo, vel potius equo delapsum Numen, nisi sub onere iniqui belli succumbere. Nam quæ vel fortunæ tanta insania foret, vel factorum inclemetia, vt de victoriâ deliberarent: ablandiri ei quidem hætenus videbantur, sed ad maiorem ruinam, vt tandem illum grauiore præcipitio allidant, quòd altius extulerunt. Tu me hercule insanis victoriâ illi impio voto auspica-tus. Superumque hæc iniuria est, nisi credas, post Gustauum tuum factum ex Deo per vulnera mortalem nullum alium esse Deum. O insaniam tuam detestandam! Sed non hic delirij finem fecisti. Electo hoste ad bellum transisti, cui apparando, quin ille non ignauè

ignauè incubuerit mores, & genium gentis, regionum
 situs, opportunitates locorum cognoscendo non infi-
 cior: illud addo populos, ac ciuitates ad defectionem,
 quam artem magistro Patre optimè percalluit, exēplo
 suo sollicitando; quanquam id tu etiam in bello Prusico
 ingenuè fateris. Sed ulò inquam, id gessit, non ignauus
 bellator, excitante belli curam conscientia facti, vt
 cum ab æquâ belli causâ destitueretur, ab ingenio, &
 suis similibus subsidium petere cogereur. Alios tamen
 credo ego, ille mores gentis nostræ cognouit, quàm
 tu comminisceris; vtque cætera præteream, in quibus
 vel impudentiam vel ignorantiam tuam supra casti-
 gari, quàm ab illo vel in hoc dissentias? cum nihil à
 populo Polono Sueciæ (suam tu appellasti, alienam
 orbis indicat) timendum fore eum aduertisse affir-
 mas. Certè si tam in tua potestate esset meminisse,
 quàm mentiri, recordari debuisti, dum in Cancellariâ
 mecum esses, quas belli Liuoniæ, Prusiciæque illati
 causas & suis, & Senatorum suorum literis ad nos ex-
 terosque Principes missis ille adferebat; se nimirum
 belli à Suecia auertendi, & pacis quærendæ studio si-
 gna in Liuoniam, Prusiamque intulisse. Idem Duces
 ipsius, idem Commissarij, cum nostris congressi coram,
 asseruerunt. Quin & Rex Angliæ à te commemora-
 tus, Daniæque, ac ipsa demùm Infans Hispana vidua
 Archidux Austriæ, per Legatum à Gustavo, eo nomi-
 ne compellata, idem literis suis ad Regem datis (vt
 alios partim affines, partim emissarios eius taceam)
 comprabarunt. Plena sunt archiui Regij monumen-
 ta huius rei documentis, quæ tu reuoluisti, è quibusq;
 multa vel memoriâ, vel scripto suffuratus, fidem ta-

men subtraxisti, si studiosè, ipsa te, qualis sis, condè-
 mnat; si defectu memoriæ, officium mentientis non
 impleuisti. Quod si id maus in Gustauum conijcere, &
 ad cæteras eius laudes adijcere, meâ parû interest, vrer
 vestrum, vt leni verbo vrar, aberret. Quas postea
 subdis causas, ne Sueciæ à nobis timeat, silentio refel-
 lo, indignum ratus cum homulo locutuleio de legum
 nostrarum maiestate in disceptationem descendere;
 per quas quod nec ambitiosis, nec fraudulentis nobis
 esse liceat, vicio vertis; quodque sancita Comitiorum
 nostrorum typis vulgando iudicium orbis terrarum
 conscientia æqui, iusti que minimè pertimescamus: vt
 non mirum, si adlatrantes catulos nec morfu, nec la-
 tratu, validos despiciamus. Cæterum aliter & tu, qui
 acutus leguleius vis videri de nostris legibus, ac in-
 stitutis sentires, si Romanorum, Græcorum que, ac cæ-
 terarum gentium liberarum belli denunciandi, le-
 gum que condendarum rationem nosses. Sed quid mi-
 rum displicere tibi nostrum in sciscendis bellis morem,
 qui ex genio Principis tui omnia, vt video, dicis, fa-
 cis que? Is enim in Liuonia paucis ante annis clariga-
 tione posthabitâ, quæ aliquot ante finem Induciarum
 mensibus ex formulâ tractatum præmittenda erat,
 bellum mouit, iudicij scilicet tui censuram veritus, si
 quid sine fraude egisset, aut nos virtute non dolo bel-
 la inchoantes, gerentes que imitari videretur. Sed
 pro scelus? Expectabam quid de illati belli occasio-
 ne sentires; vt eam in laudibus hostis numeras. Lau-
 dabor sceleris superat scelere patratorem; & tu quàm
 in te, quàm etiam in tuum Principem, qui nollet tam
 impius videri, quàm denique in orbem Christianum,
 coelum.

cœlumque ipsum peccaueris, si potes, expende. Neminem tum Principum fuisse in orbe Christiano, (sicutus ex illo abfuisse) crederem, quorum non alij periculo nostro, alij suo, omnes communi commouerentur. Exhorrerunt Regna Christiana ad inusitata potentia mollem, quâ duæ orbis partes tertiam per latus nostrum oppugnatum ibant, quâ alteram Europæ arcem, fidam Christianitatis stationem, murum, & propugnaculum Religionis immanis Tyrannus quassabat. Hinc certatim Italia, Germania, Gallia, Britania, Belgium, sed non vestrum subsidia conferebant, cætera Regna, & Principes votis, consilijs per literas, per legatos fauebant, rati ipsum etiam silentium, & quietem in communi, & sanctissimo bello scelus esse. Ille contra bellum nobis tum inferebat, & perdestinatum affinem, per legatos sociorum Constantinopoli alebat, submissa à Britanno subsidia in Dania impediebat, ac per eundem, vt fraudem fraude feneraretur, dolumque dolo adiuuaret, inducias posebat, quietem promittebat, vt neminem magis illo fidem belli socium Turcæ habuissent. Quidni igitur clamemus, vt orbis, & sera audiat posteritas, illum fraudibus egisse? Maculam hanc, mihi crede, non elues tu vino Hispanico, nec aquâ, quin caue, ne Hispanicum vinum vestras diluat, atque iugulet aquas, quæ vos iam ægrè tuentur. Verùm iam Rigam non proditione ciuium, sed vi armorum cepistis. Excusatio hæc affectata, arguit ciues proditionis, te mendacij; neutrum ego tamen temerè affirmauerim; illud ausim, nullam hactenus urbem, nullam arcem, aut portum vi ab hoste captum, sed omnia per ignauam perfidiam

ei patuisse, vt ne emisso quidem in aëra tormentorum
 officioso fumo prodicionem colorassent. Totâ pro-
 nunciâ subactâ, quam nec dum totam habet, ad ho-
 stes, vt vincerentur, Regem tuum ducis, in quos, vt ais,
 incidit, pugnavit, vicit. Incidisse fateor in carros &
 trahas, pugnasse cum calonibus, & lixis, vicisse suffa-
 raneos, & buccelarios castrorum. At vicit tamen,
 non quòd nostri victi abscefferint, sed quòd nec vinci,
 nec vincere voluerint, & illi sat gloriæ, prodijisse vel
 semel in patentes campos, quos tantoperè odisset.
 Tandem nouum gloriæ campum Gustavo aperis, & in
 Prussiam bellum transferentem non dissimili stylo de-
 pingis. Quibus ille consilijs, quarumvè rerum inuita-
 mento Prussiam aggressus, ingressusque sit, ignarum
 me fateor doces. Nesciebam Ducalis Borussiae inco-
 las longa pace desides fuisse, oblitam bellorum Nobi-
 litatem, ignaros militiae Boraros, nutantem iam pri-
 dem procerum fidem, & inspectricis Poloniae mole-
 stam potestatem. Ignorabam quatuor viros facile cor-
 rumpi potuisse, quod tu veriusnè, an ingeniosius o-
 stenderis, non facile iudico; delector tamen tam festi-
 ui, & argutuli saperdæ commento. Illud ne imaginari
 quidem potuissem, quod de studio Prussiae in Gusta-
 uum per monetalem effigiem cum inuitantis narras.
 Sed tibi non credam? qui malim pro nostra veteri con-
 suetudine te ab alijs potiùs, quàm à me nugacem ap-
 pellari. Eadem fide patior reliqua à te narrari, præser-
 tim de Portu Pilauensi, metu vel reuerentia affinita-
 tis prodito. Quod si ex oriente sole rectè de futuro
 die ominamur, quid iam de quatuoruiratu tuo, quid
 de vniuersæ Borussiae studijs sperandum fuerit in pro-
 gressu

gressu belli, quæ tam obnoxia Gustauo fuerunt in ex-
 ortu? vt non incitandos putaret, qui spontè curre-
 bant, sed prouida neutralitate cœercendos; nihilquæ
 ei perfidia, quæ contagione in Regalem Prussiam ser-
 psit, non peruium faceret. Sed vide, vt propositi te-
 nax sis; admirandam enim bellatoris tui fortitudinem
 laudare, nec verum, quantum in te esset, dicere debe-
 bas, at neutrum præstas, cum proditione aliorum, non
 virtute, aut armis suis eum bellare ostendis, fidelisque
 perfidiæ aliorum testis esse videaris, nî circa Mariæbur-
 gum imegisses, quàm vi expugnatam ais, Quin vt
 palam faceres, te veritatis, quæ nescio, quo fato in
 narrata tua irrepfit, puduisse, abolere hanc maculam
 fœdâ in Patriam, tuosque impietate voluisti, inclitam
 Ciuitatem Gedanensem ludibrio habens, ei que obla-
 trare audens, quam Princeps Senatus Regni Vero-
 nam fidelem publicè appellauit, quæque cum sola fe-
 rè seruatæ fidei palmam hâc fatali orbis iniquitate ob-
 tineat, id solùm inter tot decora inglorium admisit,
 quod tali patriâ indignum ciuem te, inquam, genuisset.
 Appropinquaisti tandem ad Polonorum copias, nam
 hucusque armatum hostem nusquam in Prussia vidistis.
 Arma, equos, apparatus, signa, castra exaggeras.
 Splendida hæc omnia, vt prædicas, nec vestris visa vn-
 quam fateor. Sed comitatus ibi tantum Aulicus Re-
 gis fuit, voluntariorumque cohortes, spatio totidem
 dierum tumultuarè collectæ, quot vos annis bellum
 id sumptuâ vi apparastis. Tu exercitum victorijs incli-
 tum fuisse dicis, eum intelligens, qui altero post men-
 se cum Generali nostro Turcarum Tartarorumque vi-
 ctorijs clarus aduenerat, quin turpius imegisti, dum
 easdem

easdem copias ex vniuersa Regni Nobilitate centuri-
 atas fuisse narras. In quo ignorantia, vel vanitudine
 peccasti; excuso te tamen, vel consuetudine, cuius est
 graue imperium, vel morbo animi. Ergo Aula Regis
 visa est vobis ingentia castra, orbemque debellatura.
 In castris nimirum illis erat Rex domitor gentium, vi-
 ctor triumphatorque populorum, isque legitimus Prin-
 cept vester, erat & Princeps natu maximus, amor, &
 deliciae humani generis, idemque belli fulmen, quod
 Septemtrionis, Orientisque Imperium nuper concuf-
 fit, quorum ingens gloria, & maiestas nostra castra
 impleuit, vt ingentia vobis viderentur, vestra metu,
 & consternatione, vt non vos tantum, sed orbem eti-
 am debellatura crederetis. Sed si Gustauus ex illo ab-
 esset. Iniuriã antea, mi Elia, commouebat nostrã,
 nunc alienã, id est, hostis, quem tu tam indigno cachin-
 no exponis, nisi ipse tutelare orbis numen se dici à te
 patiat; nam esse, vult, dum in scenam pro Rege vi-
 cino, & socio prodit, dum confederatæ societatis
 principatum, dum Asiaticarum Ciuitatum patroci-
 nium suscipit, & solo arrogantiae flatu se totas Impera-
 toris acies vltra Pyrenæum, & Iapones amoturum spe-
 rat, vel potius post tergum suum vltra Lapones ductu-
 rum, orbem etiam ipsum debellaturus, si Prussia totus
 esset, id est, fraudibus illius ob perfidiam, & ignauiam
 obnoxius. Verum iam liberatæ Meæ triumphum
 canis, vul potius Gustau: nescio enim quò fato, inter
 cadauera suorum euasit, quæ paludes, nemora, mon-
 tes oppleuerant. Quoties ille dum effugium per a-
 quas tantum pateret, vel fortunæ gratias egit si nata-
 re sciuit, vel eandem incusauit, si nesciuit. Seruarunt
 cum

eum tamen aggeres, quærcetum, paludes, aquæ; noxq;
 illa omni die ei auspiciator, luceq; clarior, etsi omni-
 bus tenebris obscuriorē optabat: minimè verò seruas-
 sent, si hastis nostris idoneus pugnae locus, & integrum
 Imperium fuisset. Sic à Meuensi Ciuitate discessum,
 quam non tam oppugnaturus Rex venerat, quam ho-
 stem è latebris, in apertum periculo eius extracturus.
 In cæteris imemorari nolo, in quibus eloquentiæ
 tuæ vires exeris, fortitudinem hostis, scientiam rei mi-
 litaris, astum, prudentiam, laudibus prosequendo, re-
 rumque nostrarum ita te scitulum ostentando, vt so-
 mnia etiam nostra meliùs nosse, quam nos ipsi vide-
 are. Scilicet ignoramus, quid nostram hoc bello vi-
 ctoriam, quid hostis exitium moretur. Non artibus
 ille suis, crede mihi, nisi malis, vtrumque tam diu tar-
 dat. Ergo vitijs nostris, quæ ennumerat? nec absintiri
 tibi, nec blandiri nobis possum; nam; & nos vitijs non
 caremus, & tu plus verò ea exaggeras; illud in gratiam
 tui faciam, vt magis nos fraudibus, quam vi obnoxios
 esse fatear. Inclamas deindè ad libertatem nostram,
 & nos alloqueris, Corcyramque scilicet liberam, in
 qua spueri, vbi velis, liceat, depingis. Verùm extra
 chorum, mi Elia, saltas, tantùm tibi extra instituti tui
 rationem arrogans, vt libertatem nostram, ad quam
 orbis adspirat, vocare audeas stultitiam, inanem vir-
 tutis vmbra, liberam captiuitatem; libertatem, in-
 quam, illam, quæ à Græcis, & Romanis tyrannide pulsa,
 huc migravit, & quæ nusquam esset, nisi hic esset.
 Gestent alij, per nos licet, aureos frænos, & eburneas
 clitellas, modò ne nos clitellarij, aut infrænati duris
 vrgemur sessionibus; viuant alij in libertate captiua,

nos in liberâ captiuitate. Nolo te pluribus hac in re arguere, nam ipse te recollegisti, & ad rem, id est, ad Gustauum redire maluisti, cuius victorias, triumphos, prædas longâ seriè narras, & miror, quòd eum non Totilæ Gottorum Regi potiùs, quam Auo suo comparaueris, vt qui Gottos, & Vandalos, quorû titulum Regium menticulatur, iam in Italiam, & Romam, ducere Romanorum Imperatore debellato cogitat; sed non deerit alter Narsetes Iustiniano nostro priscis Iustinianis meliori. Cæterum, an quadret illi Aui comparatio tute videris; circa affinitatem, Monasteria, & Luteranam Sectam non aberrasti, nisi tu ipse à Catholica Religione aberraris, & ad vomitum domesticum redieris, ob quem eiectum, eiectus ipse à Patre domo fuisti, indignus ea virtute, & laude, si ad domesticos errores, vt ad lares posses, reuertisti. Quòd enim & impietatem Luteranam, veritatem vocas, & Religiosos homines, ociosos, ac inutiles, vel Catholicus non es, vel malus es: credere tamen malim, (vt bonum me, cùm bene de te sentio, existimes) à te ista, vt pleuraque alia per ludibrium de Gustano narrata; si ita est, addere debuisti, benè facturum fuisse Gustauum Auum, si Carolum parentum istius monasterio illo ita inclusisset, vt cælebs Monachorum more ibidem vitam degeret: nam neque nos modò bellum haberemus, neque tu, vnde perfidus esses; nisi fata per aliam viam genio tuo obsecundassent. A comparationibus ad res gestas transis, & miror magis tuam ex te ipso victoriam, quàm nostram ex Magapolensi exercitu, nam viciisti te profectò, dum aliquid hoc bello laudis nobis impertuisti, licèt alijs bellis nos fortes, & gloriosos extitisse

titisse supra memorasti. Expectabam etiam, vt dices, nos victoriâ vti nesciuisse, & nunc nobis mentem, nunc fortunam in debellando hoste defuisse. Ast â tuo Principe aliquid nostri didicerant, ideòque vicerunt. Num ille in tota vitâ suâ, tam illustre, & gloriosum factum sperare, aut cogitare ausit? Hyeme in Verem procliui, & niuibus in aquas, atq; vligines colliquescentibus, per sævas, & horridas præpinguis solivoragines hostilem exercitum aggredi aggrediente ferè maiorem, armis instructum, oppido clausum, & ad turpem cogere deditioem, armis, signis, tormentis spoliare, non alterius hac ætate, quàm nostri Generalis virtus, & decus fuit; Signis collatis hostem vincere, fortuna sæpiùs, quàm virtus solet. Cæterùm caudinum agere triumphum, Samnitum olim, nostri nunc Imperatoris gloria est. Nisi tu velis eandem tuo Regi impartiri, cui auxiliares copiæ, ex Ducali Prussia ad nostrum exercitum tendentes sese dedidère: furcarum enim reuera ille triumphus fuit, sed non Caudinarum, nec victi sub iugum, ast in furcas agi debebant, prout egit multos ex eis postea captos Generalis noster. Verùm secundus aduentus Gustavi in Prussiam, & suos vacillantes, & Soderanum, ne ab Taurominitanam Minutij fata timeret, confirmavit. Quid hoc inuolucro tegas, haud laboro, qui sine ambagibus idem iam dixisti, Taurominitanam certè argutiolam laudo rostro bouum acutiorem, quibus Taurominium abundat, in quo bubulicitari magis tibi conueniebat, quàm hic bouinari. Nam quàm mordax bouinator sis, vide. Senatores tu nostros superbos, & venales vocas. O impurum os, in quod præmansum

istius mendacij cibum aliquis è Soderanistis inseruit;
 venenalia enim hic omnia putant. Sed caueant, ne ca-
 lem exitum habeant, qualem is, qui Romam venalem
 olim dixerat, si emptorem haberet. Cæterùm fides
 penes te sit, cum ab ijsdem chartam, & epistolas nobis;
 arma, & comeatum hosti submitti affirmas. Vidisti tu
 quidem eiusmodi chartarum, & epistolarum ingentia
 volumina, dum in Cancellaria esses; sed de armis, &
 comeatu an credi tibi debeat, illi ipsi viderint. Ego in
 iuriam eis abste fieri, vt Polonico more loquar, existi-
 mo. An enim nescis, quòd insignem militum manum
 anno superiore, vt memorauì, ad exercitum nostrum
 miserint? quanquam nescio, quò fato charta, & epi-
 stolæ ad nos, miles, & arma ad hostem deuenierint.
 Porro ea quæ de secundâ Regis nostri in Prussiam ex-
 peditione memoras, attingere nolo. cum ipse pænè fa-
 tearis, legatos Olandicos, qui panem, non pacem esu-
 riebant, & altissimos vallos, in quibus fulmina tantum
 desuper nocere potuissent, hosti salutem attulisse. Ante
 aduentum quidem in Castra Regis, quòd extremum
 exercitus nostri agmen hostis carpserit, triumphas, &
 in primis omnia in Castris nostris temulenta, & ba-
 chanalijs similia fuisse arguis. Nimirum, quia ab eis
 metus, famelique aberat, bachanalìa vobis videban-
 tur: quorum castra Fabriciorum plena erant, non vir-
 tute, sed rapis subcinericijs, quibus miserè famem elu-
 debant, metum solabantur, vt non mirum, si saturitas
 apud famelicos temulentia, si vigor militaris apud
 pauidos bachanaliorum speciem habebant. Temulen-
 tum certè neminem in Castris vestris videre erat, læ-
 tum, neminem, & vix etiam viuum, sed omnia tetra,
 squali-

squallida, misera, horrida. Sed quis vos ô Sueci, (lice-
 at illos tantillum alloqui, nam & tu Polonos alloque-
 ris) è carceribus vallorum vestrorum dimisit, quibus
 miserè tertium iam annum in Prussia inclusi perfidiæ
 vestræ pœnas luitis, vt vix lucem aspicere possitis? A-
 spexistis tum nescio, quo numine vobis propitio, & in
 campos sesquipassu à vallis prodistis. Quòd si illa
 velitatione nostros ex eis pulsos, victosque triumphā-
 tis, dicere iam exemplo Pyri potestis, si alterâ pugnā
 Polonos vicerimus, perijmus, exemplo inquam Pyri,
 nam Principem istum vestrum nescio, quis nuper Pyr-
 rum appellauit. Itaque vt ad te, Elia, redeam, ne e-
 xistimes, cum aliquot extremi agminis nostrorum co-
 hortēs vniuersum equitatum vestrum inuaserunt, im-
 motum illum virtute, & audacia stetisse, sed metu o-
 briguisse, vt neque se ad fugam recolligere posset, do-
 nec nostri cædendo tantam multitudinem fessi, disce-
 dere ob casum Ducis, qualis nec Alexandrum, nec
 Pompeium ex Magnis minores fecit, & solem occidu-
 um cogèrentur. Hic tu Ducum nostrorum casu ca-
 chinum tibi, cuique similibus moues, quasi postridie
 vester etiam Imperator non alienis pedibus ex acie ab-
 scesserit, quanquam vos fortassis casum illius adfau-
 stum omen vertitis: sed quia cadens Romani Ducis
 exemplo, oblitus est dicere, Teneo te Prussia, neque si
 dixisset, tenere eam infirmâ vulnere dextra potuisset;
 ideò omina in contrarium verte, scilicet forè, vt Prus-
 sia, Liuonia, Suecia, è manibus eius vulnere debilita-
 tis breui elabantur. Hoc omine ego quoque finem te-
 cum confabulandi facio, alijs spicilegium relinquens,
 vel messem totam; tibi verò noui Panegyrici campum,

ex rebus hoc Anno à Gustavo gestis. Per amplum
 certè habebis. Nimirum ex Insula Mariæburgensi fa-
 me, & aquis à nostro Generali eiectus, cum ligonibus,
 rutris farracis, hinc inde diuagatus, ab arce, litoribus,
 propugnaculis Gedanensibus, à Meua, Graudento, Ne-
 oforio cum clade repulsus, tandem Neiburgo casu,
 Brodniciâ per fraudem acceptâ, quarum iam alteram
 mirâ nostrorum fortitudine cum præsidio amisit, ex
 altera Comes Turnius rebus desperatis relicto cada-
 uere filij sui effugit, ingentes illas copias in hyberna
 cognata redaxit, septem millibus suorum desideratis,
 Baudis Præfecto cum legione amisso, sed Imperatoriæ
 manus ictu nobilitato, Principe Daniæ in extremum
 propè discrimen coniecto, Hornó Tribuno à victori-
 bus, Comite Turnio iuniore fati sublato, repletisq;
 demùm tantò captiuorum numero nostris Castris,
 quantus vix militum in eis fuisset. Summam rei ge-
 stæ habes, & argumentum laudis: quod tibi suggere
 volui, vt sicut antea materiam scribendi præfens in
 Cancellariâ collegeras, ita eam absens à me haberes.
 Tuum erit acuire stylum, vt nos acutiùs ferias, hostem
 subtiliùs laudes, dicibula, geras, somnia, nugas, men-
 dacia narres, quicquid nec cogitauit hostis, neque nos
 somniauimus: numeres victorias, canas tryumphos,
 trophæa erigas. Non dispar, nec sterilius erit noui Pa-
 negyrici seges, idem hostis, Quatuoruiratus, Soderanus,
 Taurominitana. Non deerit fraus, quam virtu-
 tem voces, non deerit perfidia, dolus, fuga, metus,
 clades, quæ appelles fidem, prudentiam, artem milita-
 rem, fortitudinem, victoriam: idque egregiè præsta-
 bis, si à te, non à veritate, quæ ingeniosa non est, scri-
 bendi

bendi petes adminicula. Verum ne te id aggredien-
tem morer finem, vt promisi, facio. Inprimis, quæso,
ignoscas, si acerbius tecum, cùm familiariter vellem
egi. Scis me ingenio rudem esse, linguâ inconcinnum,
ore liberum, sed infacundum, vno verbo dicam, Ma-
zouium, qui malim more gentis manu, quàm linguâ
decertare. Deinde illud te monitum velim, vt si
mentem tuam affecutus non sum, æqui bonique con-
sulas: non attendebam enim quo fine, & animo, quem
bonum, sed imprudentem aliqui autumnant, sed quid,
& cui scripseris. Vale. & mentem si potes muta,
sin desipere mauis, malo tuo, meo dispendio
facies; nam te tibi, mihi que æternùm
perdes.



